manuscript

Seite 78r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36453
Copyright: Melk, Benediktinerstift



qui pluunt uerbis et corruscant miraculis. de suis ora-
culis pluant iustam beatam scilicet et intemeratam uirginem
Mariam. aperiatur terra. idest uterus uenerabilis anime.
et concipiendo in utero germinet saluatricem uirginem hanc
ineffabilem que mundi saluatorem genuit. Addidit quoque
sub metaphoricos ecce mulier anna in utero concipiet.
quod a uiro per semitiuam traducionem sancti germinis accipiet. et
pariet filiam. et uocabitur nomen eius Maria. idest stella
maris. que altum mundi pelagus illuminat. Ad hanc igitur
gloriosam conceptionem canite canticum leticie. sicut fecit olim
post transitum maris rubri moyses. cum submerso pha-
raone domino tympanizauit dicens. Cantemus domino glo-
rose enim honorificatus est. equum et ascensorem piecit in mare.
Sic et nunc in sexu femineo in conceptu isto spiritu gloriose
in hominis humanitate in hac sacra conceptione deiecto pestifero
et fracto mortis curriculo uere honorificatus est. quia equum
et ascensorem. idest superbiam et leuiathan superbissimum
piecit in mare. idest in homines et angelos malicia et
iniquitate amaros. in hac inquam sacra conceptione. in hac
die sanctissime uirginis tamquam in sagittis acutis que con-
fixe sunt in corde inimicorum regis.

Passio sancti kalimeri mediolanensis epi. v id. dec. G

Translatio ad celestem curiam uiro preclaris-
simo castriciano. atque in senatorum illustris-
simorum concilio quasi bellicosissimo censore.
ac ueterano triumphatore intenti sub-
sellio decibiliter sublimato. plebs uiduata
fidelium non modica urgebatur tristicia.
Anxia multum et gemine hinc inde mesticie ecclesia
angore prolapsa. primum de pastoris obitu et destitu-